

Ad Ill/mum et R/mum D'num Cardinalem Belarminium Fratris Thomae
Mariae Carafae Ord/s Praedicat. Lectoris Apologia. In qua qui=
bus rationibus, et quo sensu Papam, vice Deum, christianae Reipublicae
Monarcam, et Pontificiae omnipotentiae conservatorem acerrimum appel=
laverit, aperitur.

Ill/me Domine.

Reprehenderunt me Sicoli quidam, quod dum Turrim meam Davidicam,
ex qua mille conclusionum clypei ex variis excerpti scientiis pende=
bant, Summo Pontifici dicarem, tali illum nomine compellaverim: "Paulo
V° Vicedeo christianae Reipublicae Monarchae invictissimo et pontifi=
ciae omnipotentiae conservatori acerrimo". A quorum ego morsibus
scripta mea defendere decrevi, non propriae tenax sententiae, sed
Pontificiae relator dignitatis. Et fusius quidem hoc munus obivi in
Apologia, quam Neapoli de eadem re conscripsi ad Excell/mum Ostilia=
nentium Principem; modo vero pressius cum istis agam, non rhetorum
ornamentis, non rationum subtilitate, non verborum pompa certabo, sed
auctoritatibus Canonum, Conciliorum, patrum auctorumque gravissimorum,
quas, si modo catholici sint, refutare non poterunt. Unum tamen ante
omnia mihi praemittendum duxi, me ista defendere mordibusque tenere,
si tamen aliter Summo Pontifici, sanctaeque Romanae Sedi visum non fu=
erit, ad cuius arbitrium et gesta et scripta componere, teste Diony=
sio, christiani m̄viri munus est.

Age vero ad rem ipsam propius accedamus. Male, inquit, Papa dici=
tur Vicedeus; non enim Dei, sed Christi est vicarius. O hominum igno=
rantiam! quasi vero Christus Deus non sit, et quae Christus fecit,
Deus fecisse non dicatur. Eia ergo oblitterentur canones, sileant pa=
tres, corrigantur Concilia, in quibus Deum natum esse, Deum mortuum
praedicatur, et jam Virgo Beatissima non Deipara, sed tantum Christi=
para ad istorum sententiam nuncupetur. Sed jam acerbiores stimulos
hominibus istis admoveamus, et ad litteram Papam Dei Vicarium dici
ostendamus. Videant Glossam in cap. Serpens de poenit., dist. 1a litt.
R.: Sacriligium committit, qui Papae mentitur; ipse enim obtinet vi=
cem Dei viventis in terris. Et aliam Glossam prooem. Clement. lit. y:
Vere admirabilis, quia vices Dei gerit in terris. Cap. Quanto de trans=
lat. Episc.: Non enim homo, sed Deus separat, quos Romanus Pontifex,
qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris; Ecclesiarum
necessitate vel utilitate pensata, non humana, sed divina potius
auctoritate dissolvit. Cap. Fundamenta de elect. ¶ Decet: Ipsaque Rom=
mani Pontificis Vicarii Dei, quae suis temporibus occurrerit electio.
Sanctus M. Thomas 2a2ae q. 88, art. 12: Praelatus autem in Ecclesia ge=
rit vicem Dei; et paulo post: qui in persona Dei determinat quid sit

Deo acceptum. S. Bernardus de praecept. et dispens. init.: Sive Deus, sive homo vicarius Dei; et paulo post: Quidquid vice Dei praecipit homo. Ubi quemcumque Praelatam appellat vicarium Dei. Alvarus Pelag. de planctu Ecclesiae lib. I, art. 13, qui idem ex professo probat, ubi haec verba habet: Unde secundum hoc Papa non est homo simpliciter, sed Deus, hoc est vicarius Dei. Silvestrum v. Papa initio: Papa dictus est, quasi admirabilis, eo quod sit vicarius Christi et Dei, cujus est terra et plenitudo ejus. Et intellige vicarius Dei expresse et immediate, et non mediante lumine rationis, sicut sunt Principes. Ibid. quaest. 10 v. 4: Papa est Vicarius Dei. Et q. 11 citat Arcidiaconum et Augustinum de Ancona: Et dico secundum eosdem (scilicet Arcidiaconum et Augustinum de Ancona) quod omnes ei tenemur obedire, sicut et Christo ~~qu~~jus vices gerit, et in nos omnes habet universalem jurisdictionem sicut in toto orbe vide dei viventis. Navarr. de judic. not. 3^o, n. 12 loquentem de Papa: Factum ab ipso censetur factum à Deo; non enim puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris. Idem docet August. Triumphus q. 6 de potest. eccles. art. 1^o, in 2a ratione, qui aperte Papam vocat vicarium Dei. Item lib. 2 Clement., tit. 1^o de Judic. ait Glossa Papam esse Vicarium illius cujus est terra et plenitudo orbis terrarum.

Urgebis dici quidem Dei Vicarium, ~~sed~~ non esse innovanda vocabula, neque proinde dicendum vide Deum. Nimis vero tu critice qui sic agis, negari vis vocabula elegantium aliquando posse constringi; quid si Summum Pontificem ipso Dei nomine insignirem? Et tamen tali illum titulo decorant gravissimi auctores. Bald. in l. fin. C. sentent. rescind. non possess. et ex illo Hieron. Alban. de potestate Papae et Concilii in princ. n^o 22, Papam legitime electum vocant Deum in terris. Joannes del Sylv. in tract. de benefic. in 3a p. q. 8 n^o 26, 15 vol. fol. 6 ubi clare habet quod papa est Deus in terris, et quod cum eo facit idem concistorium Deus. Dec. Cons. 108. Anchar. cons. 239 aperte asserunt Papam posse dispensare super matrimonio non consumato, nec obstare: Quod Deus conjunxit etc., quia Papa est Deus in terris, et non ut homo separatus. Sed quid auctores recenseam, ~~qu~~aleant Doctores ubi totius doctrinae fons et origo loquitur. Deus ipse, qui gloriam suam alteri non dat, pontifices sacerdotesque singulos, Deos appellavit: Ego dixi dii estis, et 1^o Exodi Moysi: Constituam este Deum Pharaonis. Et Moyses ipse Exod. XXII: Si quis hoc vel illud fecerit, applica illum ad Deos, videlicet ad sacerdotes. Qui rursus: Diis non detrahes, id est sacerdotibus, ut exponit Gregor. in Ezech. lib. I homil. 8, et communiter Doctores.

Ergo Scripturae et Dei verbo compesce, qui sic in nos animadvertis. Vide quid Chrisostomus homil. in psalm. 11, quid Gregorius loco cit., quid Paulinus, quid plurimi alii patres in illa verba Exod. VII protulerint. Ut enim optime Divus Gregorius loc. cit.: Nomen Deus in Scrip=

turis aliquando nuncupative, aliquando vero essentialiter dicitur: essentialiter, ut cum Exodi III ad Moysem dicitur, Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham etc.; nuncupative, ut in locis citatis. Et hinc mihi licet etiam titulum illum in quo potestatem Pontificis "omnipotentiam Pontificiam" nuncupavi, confirmare. Si enim divinae Scripturae nomen Dei sacerdotibus ac pontificibus attribuunt, quid si ego etiam nuncupative et quoquo modo Romanum Pontificem, quem Deum alterum in terris Patres ubique asserunt, quem Doctores posse omnia absolute affirmant, cujus potentiae plenitudo ubique celebratur, quem Principes superiorem suspiciunt et agnoscunt, quem totius orbis monarcam praedicant, quem Principem Principum et Dominum Dominantium Bal.cons.388. Si Princeps lib.4 appellat, non omnipotentem simpliciter, sed Pontificia omnipotentia pollentem praedicaverim? [Sed neque hoc satis, imo vero vocabulum istud vice Deus novum non esse contendo, sed passim usurpatum. Sicut enim dicimus Vicerex, Prorex, quia est pro Rege et loco Regis, ita possumus dicere vice Deus, quia est loco Dei. Quod autem Papa sit loco Dei, expresse habet Concilium Chalcedonen. relatum à Turrecremata lib.2 Summae de Eccl.,c.36: Si quis Episcopus praedicatur infamis, habeat potestatem appellandi ad Beatissimum Episcopum antiquae Romae, quem habemus Petrum et petram refugium, et ipsi soli loco Dei sit jus discernendi infamiam secundum claves sibi a Deo traditas. Clarius Navarr.de spol.cleric. § Secundo, n° 2, ubi Summum Pontificem appellat "pro Christum". Si igitur ab eo quod sit loco Christi, pro Christus vocatur, cum etiam, ut probatum est, sit loco Dei, cur non pro Deus, seu clarius vice Deus vocabitur? Quod si Julio Mazarino approbati nominis auctori 74 discuss. super Miserere, Moysen vice Deum appellare licuit, cur mihi Petrum eiusque successorem vice Deum appellare non licebit. De quo Divus Chrysostomus super Actibus Apostolorum, citatus a S/to Doctore in tractatu contra errores Graecorum q.77, haec habet: Petrus a Filio super omnes qui filii sunt accepit potestatem, non ut Moyses in gentem, sed in universo orbe.

Sed ad secundum titulum confirmandum veniamus, quem triplici tantum auctoritate muniamus, quibus aperte probatur quod Papa vere est monarca, et Ecclesiae gubernatio est monarchica. Cap. Fundamenta de elect.6 § Ne autem, dicitur Papam habere utriusque potestatis monarchiam. Turrecremata de Eccle. lib.2 c.4 ait repugnare sacrae Scripturae et rationi dicere quod Papae Principatus non sit monarchicus. Navarrus de spol. Cleric. § Secundo n° 14: Sicut in triumphante unus est omnium Princeps, ita et in militante unus est omnium monarcha.

Tertius modo nos vocat titulus, in quo Paulum V. Pontificiae omnipotentiae conservatorem acerrimum vocavimus. Et hunc quidem Principem

potestatis Pontificae zelatorem, et ecclesiasticae libertatis propugnato-
torem maximum esse si quis ambigit, res paulo ante actas cum duobus
potentissimis populis, Genuensi et Veneto, mente revolvat; quae modo
in Imperii ditioni subjectis provinciis gerat et ligat, et pontificia
jura iterum in pristinum statum libertatemque revocata miretur, et in-
victissimi zelantissimique Principis nomen in tantum Pontificem recte
cadere fateatur.

Sed reprehendimus te, inquit, quod potestatem Pontificis omnipoten-
tiam appelles pontificiam. Quasi vero inscriptiones titulorum non poe-
tium quid sapiant, et species poesis non sint, in quibus amplificatio-
nes et magniloqua verba adducere maxime licet. Sed quiete agamus, boni
viri. Me non tanquam poetam, sed expressam sententiam loquutum esse
et vera pronunciasse probabo. Assero igitur optime papae potestatem
omnipotentiam appellari. Et ut rem altius aggrediar, nomen potentiae
sumi potest vel generice, ut significet quamlibet potentiam, vel spe-
cifice, ut significet aliquam tantum in specie potentiam, praesertim
si lata hujus vocabuli significatio per oppositionem alterius particu-
lae restringatur, ut si dicatur, potentia nutritiva vel potentia deam-
bulandi; tunc enim pro illis tantum in specie potentiis usurpatur. Sic
potentia Pontificia dicitur ea tantum quae in Pontifice inest; parti-
cula vero omnis, aliqua et similes, distribuit terminum potentia, ut
sumatur universaliter vel particulariter, secundum id quod significat
vel sumptum generice et latissime, vel specificice et strictius; ut si
dicatur absolute omnis potentia, particula omnis distribuit nomen po-
tentiae secundum latissimam illam significationem, ac proinde facit
ut sumatur pro qualibet potentia; qua ratione potentia divina licet
singularis quaedam potentia, cum in se contineat omnem potentiam quae
quolibet modo potest conferre aut conservare aliquod esse, dicitur om-
nis potentia seu, quod idem valet, omnipotentia. Non ita tamen univer-
saliter sumenda erit si dicatur omnis potentia deambulandi, sed pro
potentia tantum quae sit deambulatoria, et ea quidem omni. Eodem modo,
omnis potentia Pontificia sumetur, non pro omni potentia simpliciter,
sed pro omnipotentia quae in quolibet Pontifice residet. Cum ergo po-
tentiae et jurisdictiones reliquorum Pontificum seu Episcoporum promanent à Summo Pontifice et ab eo dependeant in fieri et conservari, ut
praeter Joannem de Poliaco Quodlibeto 5^o q.14, Henricum de Gandavo
Quodl. IX, q. 22, Castro de justa haereticorum punitione lib. 2 cap. 24,
tenent communiter DD. S. Thom. in 4 dist. 18 q. 2, a. 2, quaestiuncula 1a ad
2um; Victoria de potest. eccl. relect. 2, q. 2, n. 29 et 30; Caetanus I^o Thom
opusc. tract. I cap. 129; Stan. Osius suorum operum cap. 54; Ruard. art. ;
Novariens. art. 17 pag. 300, possitque Summus Pontifex quicquid reliqui
pontifices et multo amplius: ita potestas, quae est in Summo Pontifice,

continet reliquas Pontificum potentias et jurisdictiones, ut ea merito dici possit omnis potentia seu, quod idem est, omnipotentia Pontificia, ad eum modum quo Deus quia potest quicquid possunt res creatae et multo amplius, ejus potentia dicitur omnipotentia absoluta; et quemadmodum si quis diceret de omnipotentia deambulativa, ridiculum esset extendere vocabulum, omnis potentia, ad significandam potestatem creandi coelos vel similia, sic etiam inepte quis distraheret nomen omnipotentiae Pontificae, quasi eo significetur in Pontifice esse potentiam rerum omnium efficiendarum, ut creandi coelos et similia.

Sed dices quod quemadmodum, licet dici possit omnis potentia deambulativa, non tamen dici poterit in aliquo esse omnipotentiam pontificiam. Respondetur rationem disparitatis esse, quia in nullo animante est potentia deambulativa quae contineat reliquorum omnium potentias ad deambulandum; si enim in aliquo esset talis potentia, ea recte diceretur omnipotentia deambulativa, quemadmodum potentia divina ex eo quod possit omne id quod quaelibet potentia quae in aliqua re creata aut increata esse aut cogitari potest, dicitur simpliciter et absolute omnipotentia. Cum ergo Summus Pontifex contineat jurisdictionem et potentiam reliquorum omnium Pontificum, et multo majorem, ejus potentia recte dicitur omnipotentia Pontificia. Sed metaphysicas istas rationes forte non capiunt, grammaticis illos jaculis confodiemus. Vocabulum hoc, omnipotentia, non solum omnium potentiam, sed etiam in omnes potentiam significare grammatici omnes fatentur; in hoc autem sensu si potestatem Papae omnipotentiam vocari posse negent, illos circa fidem naufragari quis neget? Audi concilium Florentinum: Definimus Romanum Pontificem in universum orbem tenere principatum, et ipsi gubernandi universalem Ecclesiam plenam potestatem traditam esse. Lege Felinum cap. I, n. 5 et 6, ubi Papam habere potestatem circa celestia, terrestria et infernaliam plene probatur, Troilum Malvicium in tract. de canonizat. Sanctorum, in 2° dubio, n. 8 et 9, ubi Papam in universo habere plenitudinem potestatis asserit; Bal. cons. 275 pro regula, col. fin., verbo Sed certe alia ratio, lib. 2, quae haec habet: Papa habet utrumque gladium et ipsius est terra et plenitudo ejus, et est miles ueli Abbas in q. I, col. 2 in fine; Papa celeste habet arbitrium et jura celestis et terrestri imperii, idemque asserit q. 5, n. 4, col. 3. Maneat igitur firmumque sit optime Papae potestatem Pontificam omnipotentiam, si sano modo nostra accipiantur verba, appellari, tum quia illud omnipotentia restringitur ab abjectivo, Pontificia, tum quia vere potestas Papae est veluti quaedam omnipotentia, ut patet per ea quae dicit Glossa Cap. Quanto de translat. episcopi litt. F; ibi enim dicit Papam habere celeste arbitrium naturam rerum immutare, substantialia unius rei applicando alteri, de nullo posse facere aliquid etc. quae sunt cujus-

dam omnipotentiae, tum quia significatur Pontificem non habere restrictam et limitatam potentiam.

Adde quod idem significatur per haec verba plenitudo potestatis, ac per hoc omnipotentia; differunt enim sicut duo sinonima; plenitudo autem potestatis passim tribuitur Papae, ut patet c. decreto c. qui scit 2a d. 6, et ex S/to Thoma 2a 2ae q. 88, art. 12, ad 3: Summus Pontifex, inquit, gerit plenissime vicem Christi in tota Ecclesia, ipse habet plenitudinem potestatis. Idem docet Gem. cons. 53 pro responsione in principio, et in extravag. Bonifacii VIII quae incipit Unam sanctam

Ecclesiam clare hoc habetur. Id autem in illis verbis Pontificia omnipotentia nos intendimus, quod communiter dicimus: Papa omnia potest; cujus modi loquendi plenae sunt paginae auctorum omnium. Dec. cons. 988 viso puncto in principio: Papa est contra jus, supra jus et extra jus, et ideo omnia potest. Gem. con. 8 n. 6 et 7: Papa absolute potest omnia. Guid. Pap. Cons. 134 n. 4, verb. Imo si Papa: Papa omnia potest sicut Deus, excepto peccato, et concistorium Dei et Papae idem est. Abb. q. 1 col. 2 in fin. in hib. fin. n. 17 et seq. de pact. Rom. cons. 298 n. 2, Bal. in l. rescripta C de precib. Imperat. off. e-rend., Cardinalis Tusc. in pract. concl. jur., Thom. 6 concl. 49 qui ex professo probat hanc propositionem, Papa absolute potest omnia, et hujusmodi loca sexcenta; hujus autem potestatem, qui omnia potest meo sensu, in quo potest omnia, omnipotentiam quandam appellari posse quis neget? Mitto Bernardum Epist. 131 ad Mediolanenses, Beatum Joannem à Capistrano tract. de potestate Papae p. 1 art. 2 n. 64; Alvar. Pelag. lib. I de planctu Ecclesiae cap. 58 in fine, qui expresse docet potestatem Papae esse plenam sine numero, pondere et mensura, et quodammodo immensa; immensa autem potestas omnipotentia quoquo modo dici certe potest.

Accedat quod in manu Pontificis est manus Dei, quae est omnipotens, ut ait S. Bernardus serm. de Petr. et Paul. qui incipit, Petrus Apostolorum Princeps: O quam potens dignitas, quam digna potentia judicabit Petrus, et Omnipotens Petri iudicium confirmat, et est in manu Petri manus Altissimi. Et si sancto Leoni serm. 3^o in anniversario assumptionis suae, et legitur in festo cathedrae Sⁱ Petri Antiochiae in Breviario, si inquam sancto Leoni dicere licuit de sancto Petro, ex persona Christi: Quae mihi potestate sunt propria, sunt tibi mecum participatione communia, cur non liceat Summo Pontifici Christi omnipotentiam, quae ipsius potestatis est propria per participationem accomodare, ut omnipotens dicatur non proprie et principaliter, sed dependenter et per participationem à Christo? Imo hic modus loquendi videtur induere sensum catholicum, quod scilicet Ecclesiae praelati vere et proprie à peccatis absolvunt, et non solum significant esse à Deo absolutos, ut volunt haeretici; quod utique omnipotentia sapit. Certe si idem est tribunal

Papae et Christi, ut ait Hostiens.de translat.Praelat. c.Quanto relatus, et approbatur à Navarro de Jud.not.3,n.12, cur non potest dici etiam eadem potestas? Christi autem potestas omnipotentia est. Et si Innocentius III cap.Quanto de translat.Episc. hanc potestatem non humanam, sed divinam appellavit, et si propter illam Papa stupor mundi et summa rerum dicitur, cur non poterit omnipotentia Pontificia appellari? Denique Alvar.Pelag.de planctu Eccles. l. II, art. 13: Papa, inquit, habet omnem potestatem internam quam habuit Christus; nedum sicut verus homo, sed sicut verus Deus. Haec autem potestas utique omnipotentia est. Videant igitur qui nos mordent, quam inanibus fulti rationibus, et quam debili dente id faciant. Quibus ego illud monuisse velim, ut veteris illius axiomatis, quod ex Gem.cons.33 pro resp^e in princ.citat Card/lis Tusc. loco supra cit.: Recordentur temerarium esse potestatem papae in contentionem adducere, ne lingua transiens per terram os ponat in coelum. Suspicienda enim magis est divina illa potestas quam discutienda; nec incongrue in istos verbis quibus Beatus Isidorus in illos qui Virginem Deiparam vocandam non esse contendebant, animadvertere possemus: Videant ne male de Virgine sentiant qui decentes titulos Virgini tribuentem lacerant. Sic nos istis serio inculcavimus: Videant ne male de potestate Pontific sentiant qui decentes titulos Romano Pontifici tribuentem lacerant; cujus sanctissimi Patris censurae et nostrum titulum, et quae pro eo defendendo, Neapoli et Romae scripsimus, humiliter submittimus, ut si Ipse coelesti quod habet arbitrio, talia nomina in usum ponenda non esse censeat, illa penitus delenda, e medio tollenda et nullo modo defendenda judicemus; etsi enim potestati Pontificae nostra studia dicaverimus, in eam mirifice affecti simus, et pro ea tuenda mori cupiamus, illam tamen talem tantamque, qualem et quantam Romanus Pontifex judicaverit esse, existimamus. Nosque ideo praesentia scripsisse protestamur, non ut nostram sententiam pervicaciter defenderemus, sed ut in quo sensu verba tituli nostrarum conclusionum acceperimus, Dominationi tuae Ill/mae doctissimaeque patefecerimus; quam sacri Collegii decus, Ecclesiae sanctae columnam et Summi Pontificis dexteram Omnipotens diu servet incolumem.

Varia ad Card.Bellarm.spectantia, fol.201=226. Autog.ou copie?